

www.e-rara.ch

Ad Pandectarum titulum de origine juris commentatio

Schulin, Friedrich

Basileae, MDCCCLXXVI. [1876]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-143491>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

VIRO ILLUSTRISSIMO

AC DE BONIS LITTERIS JUREQUE CIVILI MERITISSIMO

CAROLO WITTE

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

QUOS

ANTE HOS SEXAGINTA ANNOS

ADEPTUS EST

PIE CONGRATULATUR

ORDO JURECONSULTORUM BASILIENSII.

(L. S.)

BASILEAE DIE XX MENSIS AUGUSTI MDCCCLXXVI.

3.

Adjecta est Friderici Schulin, h. t. decani, ad Pandectarum titulum de origine juris commentatio.

VIRI ILLUSTRISIMO
DE BE BONIS DITTEIS IUREQUE CIVILI MERITISIMO

CAROLO WITTE

SUMMO IN IURIS ET LEGIS HONORE

ANTE HOS SEXAGINTA ANNOS

ADRETTIS EST

THE CONGRATULATOR

ORDO IURISCONSULTORUM BAVARICENSIS

(L. 2.)

BASELAE DIE XX MENSI AUGUSTI MDCCCLXXVI

FRIDERICI SCHULIN

AD

PANDECTARUM TITULUM

DE

ORIGINE JURIS

COMMENTATIO.

BASILEAE MDCCCLXXVI.

TYPIS CAROLI SCHULTZII ACADEMIAE TYPOGRAPHI

FRIDERICI SCHULZII

CAHOKA AD HETTERE

PANDECTARUM TITULUM

ORIGINE JURIS

COMMENTATIO

BASILEAE MDCCCXXVI

EDIDIT GABRIEL SCHULZII ACADEMIAE THEOLOGICAE

Cui Pomponii nomen inscriptum est, lex secunda de origine juris cum magnas jam laudes, tum graves vituperationes Pomponio concitavit. Alteri Pomponium praecipuum fontem historiae jurisprudentiae Romanae celebrant, alteri eum ignarum rerum Romanarum garrulumque confabulatorem praedicant. Videant utrique, ne aequae fallantur. Antiquae jurisprudentiae Romanae cognoscendae legem secundam de origine juris non spernendum fontem esse, nemo negat. Multa in ista lege mireque conficta mendacia narrari, atque aliena alienis temere commisceri, omnes consentiunt. At cavendum est, ne Pomponio tam virtutum illarum quam errorum relationis magna ex parte immuni utraque prorsus imputemus.

Certus narrandi ordo in lege secunda de origine juris aliquatenus observatur, observandusque hic illic demonstratur. Multae, quae in ista lege leguntur, perversitates, repugnantia relationis earundumque rerum haud rara repetitio, magnisque ambagibus miro modo mixta mutila quaedam et quasi decurtata narratio, negligentiae Pomponii, cujus legem istam esse inscriptio perhibet, tribuendae esse videri possint. Verum, ut alia taceam, narrare, praefectum urbi Latinarum feriarum causa introductum esse, et quotannis observari, quia praefectus annonae et vigilum non sint magistratus, vel M. Porcium Catonem, principem Porciae familiae, se ipsum secutum esse, ea profecto non sunt sani hominis, efficiuntque, ut aut Pomponium, vel cujus lex est, perversitatis ingenii arguamus, aut legem secundam de origine juris talem, qualis nobis servata est, non solum Pomponii, verum etiam cujusvis alius scriptoris esse negemus.

Lex secunda de origine juris non eo tantum corrupta esse videtur, quod singulae ejus partes depravatae sunt, sed ipsa lex non nisi speciem unius legis prae se ferre videtur, revera ex multis diversorum Romanorum jureconsultorum fragmentis conglutinata.

Jam ipsa legis secundae de origine juris indoles eam suspicionem movet; augetur ea suspicio ab Joanne Laurentio Lydo, historiographo Byzantino.

Is in primo, quem de magistratibus populi Romani scripsit, libro tribus locis Romanorum jureconsultorum fragmenta graece versa affert, quae itidem in lege secunda de origine juris leguntur. At unum tantum horum fragmentorum Pomponio tribuit, altera duo Gaji esse ait ex ejus libro primo ad legem duodecim tabularum desumta.

Erravitne Lydus, qui in exhibendis veterum jureconsultorum locis solis Pandectis usus bis fragmentum aliquod tituli de origine juris exscripturus secundae legis inscriptionem praeterviderit, totumque titulum ex Gaji libro primo ad duodecim tabulas desumptum esse propter primae legis inscriptionem falso existimans, in libro suo fragmentum illud immerito Gajo adscripserit? ¹⁾ An Lydo quidem ipsi Romanorum jureconsultorum libri cogniti erant, ex iisque ipsis fragmenta sua hausit, at inextricabili aliquo errore seductus, Gajum cum Pomponio commutavit? ²⁾ An Lydi Pandectarumque fragmenta altera revera ex Gajo, altera ex Pomponio excerpta, ideo inter se conveniunt, quod Gajus Pomponiusque iisdem fere verbis eadem in libris suis retulerint, alter alterum vel ambo tertium aliquem ignotum scriptorem secuti? ³⁾ An vero tota lex secunda de origine juris neque Gaji neque Pomponii, neque cujusvis alius veteris jureconsulti est, sed ab ipsis Pandectarum compositoribus conficta, qui ab ipsis mutilatam et conscissam Pomponii narrationem interjectis aliorum scriptorum fragmentis resarserint? ⁴⁾ An denique tota, quae inter Lydum et Pandectas exstare videtur, discrepantia negligentiae librarii alicujus debetur?

Ad has quaestiones recte dijudicandas ante omnia necessarium videtur examinare, utrum Lydus fragmenta ista ex ipsis veterum jureconsultorum libris, an

¹⁾ cf. Huschke, *Jurisprudentia antejustiniana*. Ed. III. p. 385. not. 1.

²⁾ cf. Puchta, *Institutionen*. I. § 104. not. u.

³⁾ Niebuhr suspicatur, Pomponium relationem suam ex Gaji libris ad duodecim tabulas excerptisse. cf. Niebuhr, *Römische Geschichte* I. p. 292. 293. not. 691. II. p. 12. Sintenis, in *der deutschen Uebersetzung des Corpus juris civilis*. I. p. 240. not. 47. Contra Hugo, *römische Rechtsgeschichte*. Ed. XI. p. 26.

⁴⁾ cf. Franciscus Hotomanus, *Epitom.* in *Pand. lib. I. tit. II.* Gravina, *de ortu et progressu juris civilis*, cap. 91. Schrader, in *Hugo's civilistischem Magazin*. III. p. 425. Wenck, *Magister Vacarius* p. 94. not. m. cf. Sanio, *Varronianiana in den Schriften der römischen Juristen*. p. IX. not. d. e.

potius ex Pandectis hausisse existimandus sit. Ea autem disquisitio non nisi inspectis omnibus veterum jureconsultorum fragmentis a Lydo in libris de magistratibus populi Romani exhibitis absolvi potest⁵⁾.

Septem omnino veterum jureconsultorum fragmenta, eaque omnia in libro primo, apud Lydum leguntur. Praeterea Lydus uno loco Ulpiani Protribunalia sive de omnibus tribunalibus libros citat; sed ipsa Ulpiani verba non affert.

Septem illorum fragmentorum a Lydo receptorum prius haec tractabo, quae cum nullo legis secundae de origine juris loco conveniunt. Quattuor sunt; eaque omnia a Pandectis non sunt aliena; sed in primis Pandectarum titulis leguntur, paucis tamen verbis hic illic mutatis. Omnia haec fragmenta e solis Pandectis hausta esse videntur uno tantum Aurelii Arcadii Charisii fragmento fortasse excepto.

1) Primum hoc Arcadii Charisii fragmentum est. Exstat apud Lydum in libro primo, capite quarto decimo; in Pandectis in lege unica de officio praefecti praetorio.

Apud Lydum haec verba leguntur:

*Διὰ βραχέων εἰπεῖν χρεῖωδες ἐστὶ πό-
θεν τὴν ἀρχὴν ὁ τῶν πραιτωρίων ἑπαρχὸς
ἔσχειν. ἀπὸ τοῦ ἱπάρχου, ἢ μᾶλλον εἰς
τόπον γὰρ ἐξείνου τὸν ἑπαρχὸν προχειρί-
σθαι φασὶν. τοῖς ἀρχαίοις ἔστιν οἷς ἡ πᾶσα
πρὸς καιρὸν ἐξουσία τῶν πραγμάτων ἐπι-
στεύετο. ἐπελέγοντο γὰρ ἑαυτοῖς ἡγεμόνα
τῶν ἱππέων ἑκαστον, κοινοῦν ὥσπερ τῆς
ἀρχῆς καὶ διοικήσεως τῶν πραγμάτων. τοῦ
δὲ κράτους ὑστερον ἐπὶ τοὺς αὐτοκράτορας
μετενεχθέντος, πρὸς ἀμοίωσιν τοῦ ἱπάρ-*

In Pandectis haec:

Breviter commemorare necesse est, unde constituendi praefectorum praetorio officii origo manaverit. Ad vicem magistri equitum praefectos praetorio antiquitus institutos esse, a quibusdam scriptoribus traditum est. Nam cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, et magistrōs equitum sibi eligerent, qui adsociati participales curae ad militiae gratia⁶⁾, secundam post eos potestatem gererent, regimentis rei

⁵⁾ De veterum jureconsultorum fragmentis apud Lydum servatis cf. Heffter, im Rheinischen Museum für Jurisprudenz. Zweiter Jahrgang. 1828. p. 117. sqq. Dirksen, Vermischte Schriften. Erster Theil. Berlin 1841. p. 50. sqq. Schrader, in Tübinger kritischer Zeitschrift für Rechtswissenschaft. I, 2. p. 147. sq.

⁶⁾ Mommsen conjicit, legendum esse: qui adsociati participales ad curas militiae gratia.

χου ὁ τῶν πραιτωρίων προῆλθεν ἔπαρχος.
καὶ δέδοται αὐτῷ μείζων ἢ κατ' ἐχέοντα ἰσχύς
τῆς τε διοικήσεως τῶν πραγμάτων τῆς τε
καταστάσεως καὶ ἀσκήσεως τῶν στρατευ-
μάτων καὶ ἐπαυροδόσεως ἀπάσης, καὶ εἰς
τοσούτων ὑπεροχῆς προέλδῃν, ὥς μηδενὶ
ἐξεῖναι πρὸς ἔφεσιν ὁρμᾶν ἢ ὀλίως ἐκκα-
λεῖσθαι τὴν αὐτοῦ χρίσιν.

Palam est, Arcadii Charisii textum, quem Lydus graece vertit, ampliorem fuisse, quam qui nobis in Pandectis servatus est. De potestate praefectorum praetorio plura verba facta fuerant, scriptumque fuerat, in tantum auctam fuisse eorum auctoritatem, ut neque appellari ab iis possit, neque omnimodo contra eorum sententias supplicari⁷⁾. Utrum Lydus ipso Arcadii Charisii libro de officio praefecti praetorio usus sit, an meliore Pandectarum codice, quam qualem nos habemus, difficillimum est dijudicatu. Veri similis videtur, Lydum ipsa Charisii verba servasse, quae a Pandectarum compositoribus consulto mutilata sint ob novellam Theodosii constitutionem de supplicatione adversus sententias praefectorum praetorio admittenda latam, quae in codicem Justinianum recepta est⁸⁾.

2) Secundi fragmenti auctorem Lydus Junium Gracchanum nuncupat. At si quis verba a Lydo relata accuratius inspexerit, atque cum Ulpiani fragmento ex libro singulari de officio quaestoris desumto, quod lege unica de officio quaestoris nobis servatum est, contulerit, reperiet, Lydum non ipsius Junii Gracchani librum de potestatibus excerptisse, de quo ipse in prooemio: οὐδαμοῦ δὲ, inquit, τὰ γραφέντα φέρεται ἴσως αὐτὰ, πάντως δὲ καὶ αὐτὰ τοῦ χρόνου τεζόρτος ἅμα καὶ χρόνιαντος, sed quae refert, ex Ulpiano, quem ipse praecipuum fontem potestatis quaestoriae cognoscendae nominat, descripsisse.

Verba Lydi I, 24. haec sunt:

προεχειρίζοιτο ψήφῳ τοῦ δήμου. Τοῦ-
λος δὲ ὁ ῥῆξ μετὰ τούτους ἀναγκαίαν εἶναι

Verba Ulpiani haec sunt:

Gracchanus denique Junius libro
septimo de potestatibus etiam ipsum Ro-

⁷⁾ cf. Bethmann-Hollweg, der römische Civilprocess. III. p. 338. sqq.

⁸⁾ cf. Nov. Theodos. 13. c. un. C. J. de sent. praef. praet. 7. 42.

τὴν τῶν νυναισιώρων ἀρχὴν ἐκρίνεν, ὡς τοὺς
πλείους τῶν ιστοριζῶν ἀντὶ τὴν τοιαύτην
προαγωγὴν ἀναγράφαι καὶ μόνον. ἀπὸ δὲ
τῆς ζητήσεως οὕτως ὁρμασθῆναι αὐτοὺς
Ιούριος καὶ Τρεβάτιος καὶ Φενεστέλα εἶπον.

καὶ μετέπειτα
πλήρ ὑπερὸν ἐξηρέθησαν οἱ κενδιδάτοι τοῦ
βασιλέως νυναισιώρες, οἱ πρὸς ἀνάγνωσιν
τῶν βασιλικῶν γραμμάτων καὶ μόνον ἐσχό-
λαζον. οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ ψήφους ἀπὸ τοῦ
κοινοῦ τῆς βουλῆς ἀνεγίνωσκον ὑπὲρ τῶν
εἰς ἀξιώματα προαγομένων.

Lydum, quamvis relationem suam his verbis concludat: ταῦτα μὲν ὁ Ιούριος, Junii Gracchani librum ipsum non ad manus habuisse, sed Ulpiani spoliis se exornasse, cum ex ipsius confessione modo allegata, tum inde elucet, quod neque Junius se ipsum excitasse, neque qui Gracchorum temporibus vixerit, de candidatis principis locutus esse credendus est.

Ultima fragmenti a Lydo relati verba in lege unica de officio quaestoris, qualis in codicibus manuscriptis servata est, non leguntur. Verborum illorum intellectus hic esse videtur, candidatos Caesaris non solum principum epistolas in senatu legisse, verum etiam designationes magistratuum a senatu factas ad principes detulisse. Consules, praetores, quaestores posterioribus regimenti principalis temporibus a senatu designatos vel nominatos esse, nominatorumque nomina ad imperatorem delata esse

mulum et Numam Pompilium binos quaestores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo et Numa regnantibus quaestor fuerit, ita Tullo Hostilio rege quaestores fuisse certum est; et sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in rem publicam induxisse quaestores. Et a genere quaerendi quaestores initio dictos et Junius et Trebatius et Fenestella scribunt.

verum excepti erant candidati principis; hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis vacant.

constat⁹⁾; consentaneumque erat, delationes has ab iisdem quaestoribus fieri, qui imperatoris quoque epistolas in senatu recitarent. Tale quid Ulpianus narrasse existimandus est post finem paragraphi secundae legis unicae de officio quaestoris, itaque ad ipsam quaestorum creationem explanandam pervenisse; Lydusque hanc Ulpiani narrationem decurtatam in librum suum recepisse atque Junio Graecchano attribuisse videtur. At ne quis inde conjiciat, Lydum ipsum Ulpiani librum habuisse. Immo multo verisimilius est, legem unicam de officio quaestoris non nisi mutilatam ad nos pervenisse. Testis est capitulum primum tituli sexti libri sexti Basilicorum. In Basilicorum synopsi, nam ipse Basilicorum textus deperditus est, haec verba leguntur:

ἀναγινώσκουσι δὲ τῷ βασιλεῖ βιβλούς καὶ βουλευόμεναι ἐν τῇ συγκλήτῳ καὶ τὰς βασιλικὰς ἀναγινώσκουσι κελεύσεις.

Βιβλίοι τῷ βασιλεῖ ἀναγινωσκόμεναι intelligi possunt libelli senatus, quibus nomina magistratuum designatorum contineantur, imperatori recitati; itaque Basilicorum legis unicae de officio quaestoris relatio cum Lydi relatione prorsus congrueret, statuendumque foret, in nostris Pandectarum codicibus verba aliqua excidisse, quorum a Pandectarum compositoribus ejiciendorum ratio vix inveniri possit, cum Leo demum imperator omnium magistratuum nominationem ad imperatores retraxisset¹⁰⁾.

3) Tertium Lydi fragmentum, quod in capite 28 exstat, ex eodem Ulpiani fragmento desumptum est, idque nominato auctore Ulpiano.

Lydi verba haec sunt:

*πλὴν ἐξήρηντο οἱ νεώτεροι οἱ ναυ-
διδάτοι τοῦ Καίσαρος· οὗτοι γὰρ μόνους
τοῖς βιβλίοις τοῖς ἐπὶ τῆς βουλῆς ἀναγι-
νωσκόμενοις ἐσχόλαζον, καὶ ταῖς ἐπιστο-
λαῖς τῶν βασιλέων ἐπούργουν.*

Ulpiani verba haec:

verum excepti erant candidati principis; hi etenim solis libris principalibus in senatu legendis vacant . . . quique epistolas ejus in senatu legunt.

De hoc fragmento nihil monendum esse videtur.

⁹⁾ cf. Walter, Geschichte des röm. Rechts. I. § 367. 370. — c. 8. 9. 10. 12. 14. 15. 21. C. Th. de praet. 6, 4. c. 2. C. J. de off. praet. 1, 39.

¹⁰⁾ cf. nov. Leon. 47.

4) Quartum, quod Lydus recepit, fragmentum Pauli est, idemque in Pandectis legitur in l. 1. de off. praef. vig.

Lydi (I, 50) verba haec sunt:

Τὸ τριανδριζὸν σύστημα παρὰ τοῖς
παλαιοῖς διὰ τοὺς ἐμπρησμοὺς προεβάλοντο·
οἱ καὶ νυκτερινοὶ ἐκ τοῦ πράγματος ἐλέγοντο.
συνῆσαν δὲ αὐτοῖς καὶ οἱ ἀγορανόμοι καὶ
δήμαρχοι, ὑπουργοί¹¹⁾ κολλήγιον (ἀντὶ τοῦ
συστήματος), ὅπερ τὰς πύλας τῆς πόλεως ᾤκει
καὶ τὰ τεῖχη, ὥστε τῆς χρείας καλονύσης
εὐχερῶς εὐρισκομένους συντρέχειν.

Non est, cur putem, Lydi textum aliunde sumtum esse quam ex Pandectis. Unde Lydus vocem: *κολλήγιον* sumserit, obscurum est. Paulum collegium scripsisse, Pandectarumque compositores pro eo familiam publicam posuisse, non crediderim.

Similiter reliquorum quoque trium fragmentorum fons Pandectae esse videntur. Unumquodque horum fragmentorum alicui legis secundae de origine juris fragmento paene aequale est; verum etiam unumquodque ab illo gemello fragmento perspicuo aliquo modo distinguitur.

1) Primum id fragmentum commemoro, quod ipse Lydus Pomponii esse ait. Sine capite hoc fragmentum ad nos pervenit, duobus ex medio Lydi codice foliis resectis. Quae reliqua sunt, prope conveniunt cum paragrapho trigesima quarta legis secundae de origine juris.

Lydi verba (I, 48) haec sunt:

μὲν πάντων δέκα μὲν δήμαρχοι, δύο
δὲ ὑπατοὶ καὶ ὀκτώ πραίτωρες καὶ ἑξ ἀγο-
ρανόμοι ἐπὶ τῆς πόλεως ἀπέμειναν καὶ μόνοι.

Pandectarum haec:

Ergo ex his omnibus decem tribuni
plebis, consules duo, decem et octo praeto-
res, sex aediles in civitate jura reddebant.

2) Secundum fragmentum Lydus Gaji esse ait, ex ejus libris ad legem duodecim tabularum desumtum. Ceterum verba ejus ex paragraphis vigesima secunda et tertia legis secundae de origine juris descripta esse videntur.

¹¹⁾ Comma, quod in editionibus post *ὑπουργοί* positum legitur, ante *ὑπουργοί* ponendum esse itaque mutilae, quae videtur, lectioni sanandum esse censeo.

Lydi verba (I, 26) haec sunt:

ὥς δὲ τὸ γὰρ φνυλίζιον τοῦ δήμου εἰς ἐπίδοσιν ἦλθε, προεχειρίσθησαν νυναιστώρες ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ φροντίδος ἀπὸ τῆς περιουσίας καὶ φνυλίζης τῶν χρημάτων οὕτως ὀνομασθέντες. ἐπειδὴ δὲ περὶ κεφαλικῆς τιμωρίας οὐκ ἔξην τοῖς ἄρχουσιν κατὰ Ρωμαίου πολλοὺν ψηφισάσθαι, προεβλήθησαν νυναιστώρες παρριζίδιοι, ὥσπερ κριταὶ καὶ δικάσται τῶν πόλεως ἀνελόντων.

Pandectarum verba haec:

Deinde cum aerarium populi auctius esse coepisset, ut essent, qui illi praeessent, constituti sunt quaestores, qui pecuniae praecessent, dicti ab eo, quod inquirendae et conservandae pecuniae causa creati erant. Et quia, ut diximus, de capite civis Romani injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praecessent: hi appellabantur quaestores parriidii, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.

Utrum ultima, quae e Lydo adscripti verba, Gaji a Lydo citati an ipsius Lydi sint, dubitari potest. Equidem propensior sum, ut verba illa Lydo addicam, qui alia quoque complura ad illustrandum parriidii nomen attulerit, quae a Gajo prorsus aliena esse videntur. Ita verba a Lydo relata cum Pandectarum verbis prope convenirent, eo solo excepto, quod Lydus Gajum Pandectae autem Pomponium eorum auctorem nominant.

3) Tertium quoque fragmentum Lydus Gaji esse ait; Gajum enim *μετὰ τὴν τῶν νυναιστώρων τὴν δεκανδρικὴν ἀρχὴν ἀναφέρειν* ait. Ceterum fons fragmenti a Lydo relati paragraphus vigesima quarta legis secundae de origine juris esse videtur, quae paragraphum illam vigesimam tertiam de quaestoribus agentem, quam modo commemoravi, excipit.

Lydi verba (I, 34) haec sunt:

πολλῆς δὲ συγχύσεως τῶν νόμων, οἷα μὴ γράμμασι τετιμῆναι, τοῖς πράγμασι γινομένης ἐκ τῆς τῶν ἀρχόντων καὶ τοῦ δήμου διαφορᾶς, δόγματι ζωνῶ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου πάντες μὲν οἱ ἄρχοντες ἐκνήθησαν, δέκα δὲ μόνοις ἀνδράσι τὴν φροντίδα τῆς πολιτείας παρέδοσαν.

Pandectarum verba haec sunt:

Et cum placuisset, leges quoque ferri, latum est ad populum, uti omnes magistratu se abdicarent, quo decemviri constituti anno uno

Dubium est, utrum jam verbo *περίδοσαν* Gaji fragmentum a Lydō exhibitum finiatur, an ea quoque, quae apud Lydum sequuntur, ejusdem Gaji fragmenti sint. Verisimilius est, Gaji fragmentum illo verbo finiri. Eorum, quae sequuntur, Lydus fontem generatim historiam nominat, et insunt, inquit Huschke¹²⁾, complura, quae Gajus hoc modo vix dixerit.

Praecipuae, quae inter Lydi Pandectarumque fragmenta exstant, discrepantiae hae sunt:

- 1) Apud Lydum Pomponius solos octo praetores in civitate remansisse ait; contra in Pandectis decem et octo praetores in civitate jura reddidisse commemorat.
- 2) Alteras easque multo majores difficultates afferunt verba, quibus Lydus relationem suam concludit. Ea verba haec sunt:

ταῦτα ὁ Πομπόνιος, ὡς εἶποιε, τὸ πλῆθος καὶ ποικίλον τῆς ιστορίας διαφνύων. ὁ γὰρ μὴν Οὐλιανὸς ἐν τοῖς προγραφομένοις προτρίβονταίοις λεπτοτέρως τοὺς περὶ τῶν προαιώρων διεξῆλθε λόγους, τοὺς μὲν τουτέλαριους, τοὺς δὲ φιδειζομημισσαρίους ὀνομάζων ὡς ἅπασι σχολάζοντων οὐ συνεῖδον μνησθῆναι.

Qui tam diffuse variam singulorum praetorum originem demonstraverit, ut Pomponius in lege secunda de origine juris, vix dici potest *τὸ πλῆθος καὶ ποικίλον τῆς ιστορίας διαφνύειν*. Quod tutelariorum praetoris aliorumque post hunc introductorum praetorum mentionem non fecit, ei opprobrio esse non potest, qui ante illos constitutos vixerit. Ex Ulpiani protribunalibus multa fragmenta in Pandectas recepta sunt, nullum vero exstat, in quo de singulis praetoribus subtilius disseratur. Ipsosne Lydus Ulpiani de omnibus tribunalibus libros legit, an aliunde scientiam suam hausit? Id jam ab initio pro certo affirmari potest, codicem nostrum Florentinum non eo mendosum esse, quod inscriptionem, quae indicaverit, paragraphum 32 legis 2 de O. J. Ulpiani esse, ex ejus Protribunalibus desumptam, perdiderit. Pomponii istam paragraphum esse, vel certe Pomponii aequalis, praetor tutelariorum a Marco Aurelio constitutus in paragrapho ista non nominatus probat, quem ab Ulpiano commemorari Lydus ait.

¹²⁾ cf. Huschke, Jurisprudentia antejustiniana. Ed. III. p. 385. not. 1. Dirksen, Vermischte Schriften. I. p. 57.

3) Secundi atque tertii fragmenti Lydus Gajum autorem nuncupat; contra in Pandectis ea fragmenta in media lege secunda de origine juris leguntur, cui Pomponii nomen inscriptum est.

4) Structura verborum tertii fragmenti a structura verborum paragraphi vigesimae quartae legis secundae de origine juris haud parum abhorret; intellectus quoque utriusque fragmenti non plane idem est.

At non tantae sunt hae discrepantiae, ut Lydum fragmenta sua e Pandectis hausisse dissuadeant; immo unius harum discrepantiarum indoles talis est, ut ipsa clarissimum indicium praestet, solum Lydi notitiarum fontem Pandectas esse. Praeterea hae discrepantiae veram legis secundae de origine juris naturam optime demonstrant.

Qui Lydum in describendis Pandectarum fragmentis negligenter versatum esse, vel Lydi lectionem librarii alicujus culpa mendosam esse dicat, concinnam discrepantiarum illarum reconciliationem suasisse videri possit. At non semper eae, quae intuitibus nobis primae se offerunt, species verae quoque sunt et non simulatae rerum figurae. Gravissima argumenta indicant, non Lydo, neque librario alicui, qui Lydi codicem descripserit, discordiam illam deberi, sed ipsi nostro Pandectarum codici Florentino vel ei codici, ex quo ille manavit.

Codicem Florentinum, unicum paene textus Pandectarum cognoscendi fontem multis partibus depravatum esse constat. Tota fragmenta in illo codice omissa, quorum vestigia in Basilicis Basilicorumve epitomis apparent, unum fragmentum falsa inscriptione interjecta in duo discissum, vel duo fragmenta, ejecta inscriptione, in unum conglutinata haud rari sunt exempli.

Nominum cultor, qui codicem Florentinum, eumve, ex quo is manavit, codicem scripsit, non erat religiosissimus. Haud raro nomina veterum jureconsultorum in omnibus nostris codicibus manuscriptis deperdita, apud Basilicorum scholiastas exstant, quos nomina ista aliunde quam ex melioribus codicibus manuscriptis hausisse, verisimile non est. Exemplis utar Africani atque Alfeni fragmentis.

Sextus Caecilius Africanus in libris quaestionum plus centies, praemissis verbis: Respondit¹³⁾, Ait¹⁴⁾, Ajebat¹⁵⁾, Dicebat¹⁶⁾, Putat¹⁷⁾, Putabat¹⁸⁾, Putavit¹⁹⁾,

¹³⁾ cf. l. 46 de h. i. l. 31 de condicion. l. 26 de bon. lib. l. 23 de m. c. d. l. 17 pr. ad Se. Vellej. l. 47 pr. § 1. 2 de h. i. l. 34 pr. de vulg. et pup. subst. l. 14 pr.

14) cf. l. 107 pr. de leg. I. l. 42 de cond. et dem. l. 14. § 1. 2 de lib. et postum. l. 49 de acq. vel om. her. l. 4 de lib. exhib. l. 36. § 2 de usufr. l. 108. § 3 de leg. I. l. 9 de leg. I. l. 4 de dot. prael. l. 32 de serv. praed. rust. l. 34 pr. de aed. ed. l. 46 pr. § 1 de evict. l. 109 pr. de leg. I. l. 40 de acq. rer. dom. l. 40 pr. § 1. 2 de acq. vel am. poss. l. 11 pro emtore. l. 21 pr. § 2 de fj. l. 38 pr. § 5 de solut. l. 7. § 2 de exerc. act. l. 38 pr. § 2 de pecul. l. 34. § 1 mandati. l. 30 de act. emt. vend. l. 51 pr. de aed. ed. l. 9. § 3 de fundo dot. l. 110 de leg. I. l. 61 pr. § 1. 5. 6. 7 de furtis. l. 33 pr. de servit. praed. rust. l. 32 de cond. et demonstr. l. 15 de O. N. N. l. 44 pr. de damn. inf. l. 19. § 5 ad Sc. Vellej.

¹⁶ cf. l. 17, § 2 ad Sc. Vellej., *in leg. ab l. § 28 J. de verbor. ob. 82 J. de iur.*

¹⁸⁾ cf. l. 9. § 1 qui pot. l. 51. § 1 de aed. ed.

tionibus, ut si quis consensit videtur in iudicium, et si legem debeat in iudicibus.

²¹⁾ cf. l. 7, § 1 de exerc. act. l. 33 loc. l. 15 de O. N. N.

ratam rem. l. 38. § 1 de solut. l. 38 pr. de pecul. l. 17 pr. de in rem verso. l. 9. § 2 qui

inf. l. 15 pr. de stat. lib. l. 19. § 5 ad Sc. Vellej. .

Pr. ratam rem. l. 11 de fundo dot. 7 1/2 .10 .1 200 .1 2 .68 .1 .82 .1 .100 25 96 .1 200 200 25

1. 3. § 3 qui pot. l. 14 pr. de lib. et post. her. inst.

in Commentariis suis, vel Celsus in Digestis suis²⁵), dicendi rationem sequi voluisset, siue alterius non adjecto. Paucis tantum locis jureconsulti, ejus sententiam promittit, nomen indicat: semel Aquilii Galli²⁶), Fufidii, Atilicini²⁷), bis Melae²⁸), ter Servii²⁹), denique quinquies Juliani³⁰). Responsa solius Juliani feruntur.

Sunt, qui putaverint³¹), Africanum omnibus illis locis, quibus autorem non nominat, quod ipse responderit aut dixerit, insolito quamvis modo proferre. Cui tamen opinioni ipsa quoque Africani verba multifariam talibus responsis vel effatis subjuncta refragari videntur, quibus in quam sententiam ea accipienda vel sub qua exceptione approbanda sint exponit³²); ut illas leges taceam, ubi Africanus talibus responsis vel effatis argumentum, quo ea confirmantur, directis verbis adjicit.

Accedit, quod aliis, iisque permultis locis Africanus, ubi suam ipsius opinionem ab eo proferri palam est, aut verbis: Puto³³), Putem³⁴), Existimo³⁵), Existimabam³⁶),

²⁵) cf. l. 6. § 1 quemadm. serv. amitt. l. 27 qui test. fac. poss. l. 18 de jure codicill. l. 22. l. 30 de leg. II. Cf. l. 16 mand.

²⁶) cf. l. 33. § 1 de vulg. et pup. subst.

²⁷) cf. l. 5 de auro.

²⁸) cf. l. 207 de V. S. l. 39 de sol.

²⁹) cf. l. 23 de O. et A. l. 35 pr. § 1 loc.

³⁰) cf. l. 23 de reb. cred. l. 38. § 4 de solut. l. 31 de pign. act. l. 19. § 1 ad Sc. Vellej. l. 38. pr. de cond. indeb.

³¹) e. g. Interpretes Corporis juris civilis germanice redditi. cf. Das Corpus juris civilis, ins deutsche übersetzt, herausgegeben von Otto, Schilling und Sintenis. II. p. 68. not. 78. Sed non ubique sibi ipsis consentire videntur hi interpretes. Qui legem 47 de h. i. in germanicum sermonem transtulit (III, p. 66.) responsum, quod ibi ab Africano, nullo nomine adjecto, refertur, a Juliano datum esse statuit. Contra Sintenis (II, p. 450.) annotationem, quam Africanus in l. 35. § 1 loc., nomine ejus, qui annotaverit, praetermisso, profert, temere a Glückio (Commentar XVIII, p. 53) Juliano vindicari ait.

³²) cf. l. 46 de h. i. l. 23 de O. et A. l. 51 pr. de aed. ed. l. 9. § 3 de fundo dot. l. 110 de leg. I. l. 61. § 7 de furt. l. 33. l. 35. § 1. loc.

³³) cf. l. 8 de eo. quod certo loco. l. 46 pr. de neg. gest. l. 38. § 3 de sol. l. 50. § 1 de jur. dot. l. 39 de sol. l. 33. l. 35. § 1. loc. l. 61. § 7 de furt. l. 28. § 2 ad Sc. Trebell. l. 19. § 3 ad Sc. Vellej. l. 64 de leg. III.

³⁴) cf. l. 64 de leg. III.

Existimandum est³⁷⁾, Respondi³⁸⁾, utitur, aut omisso omni verborum ambitu eam enunciat.

Basilicorum scholiastas in Africani fragmentorum paraphrasi septem locis verbo Respondit vel alii hujus modi verbo Juliani nomen adjecisse inveni:

1) In paraphrasi legis 22 de manumiss. test. (finem versus).

In Pandectis legitur:	In Scholiis ad Bas. 48, 3, 33:
quaesitum est, . . . an si . . . , per-	ἐξητήθη δὲ περὶ . . . εἰ καὶ γίνεται
veniat ad libertatem. Respondit: per-	ἐλευθερος. καὶ ἀπεκρίνατο Ἰουλιανὸς, ἐλευ-
venturum.	θεροῦσθαι αὐτόν.

2) In paraphrasi legis 49 de fidcomm. lib.

In Pandectis legitur:	In Scholiis ad Bas. 48, 4, 49:
Orcinum fieri libertum respondit.	Ορχίνον γίνεσθαι τὸν οἰκέτην εἶπεν
	Ἰουλιανός.

3) In paraphrasi legis 15 pr. de statulib.

In Pandectis legitur:	In Scholiis ad Bas. 48, 5, 16:
statim eum ad libertatem esse venturum	λέγει Ἰουλιανὸς, ὥς ἀναφέρει αὐτὸν
existimavit.	ὁ ἀφρικανὸς / παραχρῆμα ἐλευθεροῦσαι
	(lege: ἐλευθεροῦσθαι) τὸν οἰκέτην.

4) Eodem § 1.

quaerebatur, utri . . . Respondit, heredi	καὶ ἐξητήθη, τίτι . . . , καὶ ἀπεκρίνατο
dare debere.	Ἰουλιανὸς, ὀφείλειν αὐτὸν τῷ κληρονόμῳ
	διδόναι.

5) In paraphrasi legis 61 § 5 de furt.

In Pandectis legitur:	In Scholiis ad Bas. 60, 12, 61:
dubitare se ait, num aequè dicen-	ἀμφιβάλλεται, ἔλεγεν ὁ Ἰουλιανὸς, μήτι
dum sit.	παντὶ τρόπῳ . . .

³⁵⁾ cf. l. 7 de usu et hab. l. 35 de vulg. et pup. subst. l. 109. § 1 de leg. I.

³⁶⁾ cf. l. 64 de leg. III.

³⁷⁾ cf. l. 61. § 7 de furt.

³⁸⁾ cf. l. 108. § 2 de leg. I. l. 7 de confess. l. 23 de pact. dotal. l. 34 sol. matr.

6) Eodem § 8.

furti tecum agere posse aiebat.

τῇ φούρῃ ἐράγεσθαι σε ἔλεγεν ὁ Ἰου-
λιανός.

7) Eodem § 9.

quaeritur . . . Referre existimavit, unde
ea pecunia data esset.

ταύτης αὐτοῦ τῆς ζητήσεως, διαφορὰν
εἶναι εἶπερ Ἰουλιανός, πόθεν ἐδόθη ταῦτα
τὰ νομίματα.

Similiter Accursius ad verbum Respondit, quo praemisso Africanus in l. 16 de pec. leg. aliquem, cujus nomen non indicat, de jure respondentem inducit, annotat: Julianus magister meus. Accursium in historicis non parvi aestimandum esse constat; fontes enim, e quibus ille hausit, nobis majorem partem perditum sunt³⁹).

Ejusdem fere aetatis erant Julianus et Africanus, Africanus Juliano paulo junior. Africanum, cui Sexto Caecilio Africano nomen fuisse Ulpianus memoriae tradidit⁴⁰), ex provincia Africa oriundum fuisse, ipsum, quo vocitatur, cognomen indicare videtur; popularis igitur Juliani fuisse videtur, quem et ipsum Afrum fuisse memoriae proditum est.

Africano cum Juliano familiaritatem aliquam studiorumque conjugationem fuisse, clarissima sunt indicia. Ambo Sabinianorum sectam secuti sunt. Ulpianus in lege 3. § 4. de agnosc. et al. lib. Julianum inducit Africano respondentem, in lege 39 pr. de leg. I. Africanum in libris epistularum annotationem ad Juliani effatum adjicientem⁴¹).

³⁹) cf. Savigny, Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter. V. p. 267.

⁴⁰) cf. l. 3. § 4 de agn. et al. lib. l. 3. § 9 de penu legata.

⁴¹) Verba Ulpiani haec sunt:

et ita Julianus scribit. Nam et sumptum an in hanc rem facere heres deberet, Africanus libro vicesimo epistularum apud Julianum quaerit, putatque, sumtum praestandum.

Ea verba jam in hunc sensum detorta sunt, ut indicare videantur, Africanum a Juliano quaesivisse, num heres sumtum illum facere deberet. Cf. e. g. Cujacius in tractatum ad Africanum initio. Bremer, die Rechtslehrer und Rechtsschulen im röm. Kaiserreich. p. 43. At vereor, ne apud aliquem quaerere non idem significet atque ab aliquo quaerere. Mirumque foret, Africanum in libros epistularum solam suam sententiam, quam consulendo Juliano propositisset, neque etiam Juliani responsum recepisse; vel Ulpianum ex Africani epistulis solam Africani quaestionem,

Gajus libro secundo institutionum § 218 refert, quid Juliano et Sexto placuerit⁴²⁾; ipsum Julianum, quid Sextus et Pomponius retulerint, commemorasse, testes sunt Vaticana fragmenta (fr. 88) et, si fides habenda est Scholiastae ad Bas. 12, 1, 61, lex 63. § 9 pro socio⁴³⁾. Sextum illum, praeter Pomponium nominatum, neminem alium esse, quam Sextum Caecilium Africanum, palam est⁴⁴⁾. Denique in praefatione epitomae legum exstat relatio hujuscemodi:

καὶ μετὰ ταῦτα Ἀδριανὸς ὁ βασιλεὺς ἐπιτρέπει Ἰουλιανὸν τῷ ρωμαϊκῷ μετὰ Σερβίου Κορνήλιον ἀνιλεῖσθαι ἐπιμελὲς καὶ κατὰ τάξιν ὑποτιλεῖσαι τὰ ρωμαῖα.

Sub hoc quoque obscuro Servii Cornelii nomine Sextum Caecilium latitare, suspicor⁴⁵⁾.

Africanus in libris quaestionum tam Juliani quam sua ipsius responsa collecta exhibuisse, et disputationibus adjectis illustravisse videtur. Aliorum jureconsultorum responsa non videtur recepisse⁴⁶⁾. Connexionem aliquam inter Africani quaestiones

omissa Juliani responsione, retulisse. Quid illud: apud Julianum quaerit, sibi velit, ostendunt e. g. lex 77 et 79 pro socio, et lex 6 qui et a quib. manumiss. Ibi Paulus apud Proculum, et Scaevola apud Julianum quaerunt, i. e. Proculi et Juliani effata in libris quaestionum commentantur. Similiter Africanus in libris quaestionum et, si Ulpiani fragmento fides habenda est, in libris epistularum Juliani dicta commentatus est. Cf. Gaj. II, 154: quamquam apud Fufidium Sabino placeat. (Huschke assentire non possum, qui putat, Sabini sententiam a Fufidio referri. (ad Gaj. II, 218.) Quo tempore Fufidius vixerit, non constat.) l. 9 de V. S.: apud Julianum Marcellus notat. l. 10. § 5 quib. mod. usufr.: apud Ursejum Cassius scribit. Post verba legis 28. § 3 de don. int. vir. et ux.: apud Plantium placuit, cui placuisset, negligentia librarii excidisse, suspicor. Alius sensus est verborum: apud Julianum quaeritur, in l. 39. § 2 de proc., et verborum: apud antiquos quaerebatur, in c. 21 pr. de furtis. Ibi illa verba significant, Julianum vel antiquos quaesivisse.

⁴²⁾ Dubia Gaji verba sunt; in libro manuscripto legitur Juliano ex Sexto. Quam Huschke in Gaji editione proposuit, horum verborum interpretatio contortior est, quam quae vera esse videri possit. Emendatio illa, quam Mommsen laudat, quamque in textum recepi, magis placet. Cf. Mommsen, in Zeitschrift f. Rechtsgesch. VII, p. 479.

⁴³⁾ In ipsa lege 63. § 9 pro socio legitur: Et ait Julianus, Sextum Pomponium referre.

⁴⁴⁾ cf. Mommsen, in Zeitschrift f. Rechtsgesch. VII, p. 479.

⁴⁵⁾ cf. Rudorff, röm. Rechtsgeschichte I, § 97. not. 2.

⁴⁶⁾ cf. Cujacius sub initium tractatum de Africano. In l. 38 pr. de condict. indeb. Pro Respondit Respondi legendum esse videtur.

Julianique scripta exstisise, vel inde elucet, quod in Pandectis Africani fragmenta cum Juliani fragmentis semper conjuncta apparent. Africanum Juliani nomen aliquando nominasse, aliquando reticuisse, non est verisimile. Cum igitur in nonnullis fragmentis Juliani nomen responsis praemissum appareat, praesumendum est, id etiam aliis responsis praepositum fuisse. Cur Pandectarum compositores, qui in fragmentis tot minorum jureconsultorum nomina retinuerunt, Juliani nomen omiserint, intelligere non licet. Et si in nonnullis graecis Africani fragmentorum paraphrasibus Juliani nomen, quod in nostris Pandectarum codicibus deletum est, legitur, multo magis putem, lacunosa esse nostra Pandectarum exemplaria, quam graecos scholiastas a Pandectarum compositoribus deletum Juliani nomen divinatione aliqua ductos restituuisse. Nee refragantur Scholia ad Bas. 20, 1, 34 et ad Bas. 48, 3, 22. Ibi enim Scholiastes nihil aliud dicere in animo habet, nisi legem, quam interpretatur, Africani esse. Scholion ad Bas. 48, 3, 21 paraphrasis est legis 20 de manumiss. test., quae nullum omnino responsum continet.

Similis ut Africani quaestionum est condicio Digestorum Alfeni Vari. Ea Digesta a Paulo epitomata sunt. Utrum Pandectarum compositores et ipsorum Alfeni Vari et Pauli epitomarum fragmenta in Pandectas recepisse, an vero solis Pauli epitomis usi singulis fragmentis modo Alfeni Vari modo Pauli nomen praescripserint censendi sint, in medio relinquo⁴⁷⁾. Alfeni Vari Digesta, qualia Pauli tempore exstiterint, non eundem librum fuisse atque Aufidii Namusae centum quadraginta libri, in quos Servii Sulpicii discipulorum libri digesti sunt, persuasum mihi habeo⁴⁸⁾. Erant autem Alfeni Vari Digesta nihil aliud nisi responsorum compositiones atque in certum ordinem redactiones, in quibus non solum ipsius Alfeni Vari, verum etiam aliorum clarorum jureconsultorum, vel fortasse solius Servii Sulpicii responsa comprehensa fuisse videntur. Septendecim eorum fragmentorum locis⁴⁹⁾, quae ex ipsis

⁴⁷⁾ cf. Bluhme, in Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft III. p. 406. Herbert Pernice, Miscellanea zu Rechtsgeschichte und Texteskritik p. 76 sqq.

⁴⁸⁾ cf. Mommsen, in Zeitschrift für Rechtsgeschichte. VII. p. 480 sqq. Herbert Pernice, l. c. p. 31 sqq.

⁴⁹⁾ cf. l. 16 de in rem vers. l. 11 de per. et comm. l. 27. § 1. loc. l. 43 pr. § 1. 2 de damn. inf. l. 6 de manumiss. l. 14 pr. § 1 de stat. lib. l. 44 de h. i. l. 14 de pec. leg. l. 27 de condicion. l. 26 pr. § 1 de op. lib. l. 15 de publicanis. l. 7 de manumiss. l. 203 de V. S.

Alfeni Digestis excerpta esse inscriptiones perhibent, jureconsulti alicujus responsum verbo: Respondit inducitur, respondentis nomine non adjecto. Similiter viginti locis⁵⁰⁾ eorum fragmentorum, quae ex Pauli epitomis hausta esse dicuntur, praemisso verbo Respondit, bis⁵¹⁾ praemisso verbo Ait, jureconsultorum responsa exhibentur, quorum nomina plerumque silentur; duobus tantum locis Servii nomen nuncupatur⁵²⁾. In aliis fragmentis verbum Respondi responsis praemittitur, duodecies⁵³⁾ in fragmentis, quae ex ipsis Alfeni Digestis, semel⁵⁴⁾ in fragmento, quod ex Pauli epitomis excerptum esse dicitur. Decem⁵⁵⁾ ipsorum, quae dicuntur, Digestorum, item decem⁵⁶⁾ epitomarum locis sententiae aliquae simpliciter verbis directis enunciantur, semel interjecto verbo Puto⁵⁷⁾. Uno⁵⁸⁾ ipsorum Digestorum, duobus⁵⁹⁾ epitomarum locis indirectis verbis enunciata proferuntur, duobus⁶⁰⁾ denique epitomarum locis a directis ad indirecta vel ab indirectis ad directa verba oratio transit.

⁵⁰⁾ cf. l. 44 de evict. l. 45 de h. i. l. 60. § 2 de leg. III. l. 22 de annuis leg. l. 16. § 1. 2 de instruct. et instrum. leg. l. 15 de pecul. leg. l. 30 pr. § 1. 2. 3. 4. loc. l. 23 de praescr. verb. l. 8 de fundo dot. l. 38 pr. de don. int. vir. et ux. l. 24 de aqua. l. 38 de acq. rer. dom. l. 31 loc. l. 62 de re jud. l. 61 de leg. III.

⁵¹⁾ cf. l. 60. § 3 de leg. III. l. 45 de evict.

⁵²⁾ cf. l. 45 de h. i. l. 16. § 1 de instruct. et instrum. leg.

⁵³⁾ cf. l. 17. § 2 si serv. vind. l. 5 si quadrup. paup. l. 52. § 1. 2. 3. 4 ad leg. Aq. l. 26 comm. div. l. 16 de serv. corrupt. l. 46 de judiciis. l. 57 de R. V. l. 50 de receptis. l. 29 loc.

⁵⁴⁾ cf. l. 60. § 1 de leg. III.

⁵⁵⁾ cf. l. 17 pr. § 1 si serv. vind. l. 52 pr. ad leg. Aq. l. 26 de act. emt. vend. l. 14 de exc. l. 20 de O. et A. l. 202 de V. S. l. 42 ex quib. caus. maj. l. 2 de his, quae pro non scriptis. l. 28 de auro.

⁵⁶⁾ cf. l. 106 de leg. I. l. 60 pr. de leg. III. l. 16 pr. de instruct. et instrum. leg. l. 35 de solut. l. 19 de pact. dotal. l. 6. § 1 de supel. leg. l. 24. § 3 de aqua. l. 57 de furt. l. 40 de usu etufr. leg.

⁵⁷⁾ cf. l. 6 pr. de supel. leg.

⁵⁸⁾ cf. l. 27 pr. loc.

⁵⁹⁾ cf. l. 34 de usurp. l. 3 de interdict. et relegat.

⁶⁰⁾ cf. l. 12 de usu etufr. leg. l. 38. § 1 de don. int. vir. et ux.

Quattuor locis verbo Respondit in Scholiis ad Basilica Servii nomen praeponitur. Singuli loci hi sunt:

- | | |
|--|---|
| 1) In paraphrasi legis 27. § 1 locati. | |
| In Pandectis legitur:
Iterum interrogatus est... Respondit... | In Scholiis ad Bas. 20, 1, 27:
... ἠρωτήθη ὁ Σέρβιος... καὶ ἀπε-
κρίνατο, ... |
| 2) In paraphrasi legis 6 de manumiss. | |
| In Pandectis legitur:
Consulebat... Respondit... | In Scholiis ad Bas. 48, 1, 6:
Καὶ ἠρωτήθη ὁ Servius... καὶ
ἀπεκρίνατο... |
| 3) In paraphrasi legis 14 pr. de statulib. | |
| In Pandectis legitur:
De ea re consulebatur. Respondit... | In Scholiis ad Bas. 48, 5, 15:
Καὶ ἐρωτηθεὶς περὶ τοῦτου Σέρβιος
ἀπεκρίνατο... |
| 4) In paraphrasi legis 14. § 1 de statulib. | |
| In Pandectis legitur:
... respondit, non esse liberum. | In Scholiis ad Bas. 48, 5, 15:
... ἠρωτήθη ὁ Σέρβιος... καὶ
εἶπεν αὐτὸν μὴ ἐλευθεροῦσθαι. |

Uno loco, quo in Pandectis Respondi legitur, a Basilicorum Scholiis Servius responsum dedisse dicitur: in lege 5. Si quadrupes.

- | | |
|--|--|
| In Pandectis legitur:
Consulebatur... Respondi posse. | In Scholiis ad Bas. 60, 2, 5:
ἠρωτήθη Σέρβιος... καὶ ἀπεκρί-
νατο ἔχειν αὐτόν. |
|--|--|

Mommsen Basilicorum scholiasten Servii nomen intercalantem super interpolatione suspectum habet, ex lege 2 § 44 de O. J. petita⁶¹⁾. Cum vero non solum ex plerorumque Alfeni fragmentorum structura intelligere liceat, responsa in iis relata non ipsius Alfeni, sed alius cujusdam jureconsulti esse⁶²⁾, verum etiam duo Pauli epitomarum loci demonstrent, Alfenum Servii responsa in Digesta sua recepisse, et quidem

⁶¹⁾ cf. Mommsen Digestorum editio. I. p. 566. not. ad lineam 20.

⁶²⁾ cf. praeter omnia fragmenta, in quibus responsum verbo Respondit inducitur, praecipue e. g. l. 26 de op. lib. l. 14 de pecul. leg. l. 15 de publicanis.

praemisso Servii nomine, et lex 39. § 3 de stat. lib. confirmet, id ipsum responsum, quod lege 14. § 1 de stat. lib. contineatur, quodque scholiastes ille Servio tribuit, revera Servii esse, non dubito, quin Servii nomen in istas paraphrases non interpolatione aliqua irrepserit, sed ex melioribus, quam quales nobis praesto sunt, Pandectarum codicibus petatum sit. Responsa, quae lege 30. § 1. 2. 3 loc. continentur, Scholiastes ad Bas. 20, 1, 3 ideo Alfeno tribuit, quia ipsa lex 30 loc. Alfeni est. Responsa vel effata, quae in Scholiis ad Bas. 13, 2, 11 et in Scholiis ad Bas. 20, 1, 19 Alfeni esse dicuntur, testibus lege 35 de sol. et lege 29 loc. revera Alfeni sunt. Javoleni nomen, quod in Scholio primo ad Bas. 20, 1, 30 legitur, non minus errori alicui debere videtur, quam Javoleni et Africani nomina, quorum alterum legi 52 ad leg. Aq. = Bas. 60, 3, 52, alterum legi 16 de serv. corrupt. = Bas. 60, 6, 16 et legi 57 de furtis = Bas. 60, 12, 57 in ipsis Basilicis praemissum legitur. Similiter Juliani nomen pro Javoleni nomine in paraphrasin legis 25 de don., quae Scholiis ad Bas. 47, 1, 24 exhibetur, errore irrepsit.

Qui toties fragmentorum inscriptiones, et in ipsis fragmentis jureconsultorum citatorum nomina omisit, is de se ipso queri debet, si in titulo quoque de origine juris inscriptiones omisisse arguitur. Indoles codicis Florentini minime impedimento est, quominus multas in isto titulo inscriptiones excidisse putemus. Titulus de origine juris, quippe qui ad lites dirimendas nihil valeat, et a graecis jureconsultis et a glossatoribus minimi pensus est. A Graecorum libris e Pandectis confectis aut prorsus abest, aut tam mutilato corpore atque ore fuligine oblito apparet, ut vix cognosci queat; glossatores ad eum interpretandum nil nisi nugae attulerunt. Talem titulum in Pandectarum libris manuscriptis crebrioribus mendis squalere, quam ceteros, consentaneum est.

Duae solae inscriptiones in toto titulo incorruptae manserunt: primae legis: Gajus libro primo ad legem duodecim tabularum, et secundae legis: Pomponius libro singulari enchiridii. Sed jam de secundae legis inscriptione dubitare licet. Quamvis enim etiam in fronte legis 2 de justitia et jure, et legis 239 de V. S. inscriptum sit, eas ex Pomponii libro singulari enchiridii desumas esse, tamen in indice Florentino Pomponii *ἐνχειρίδιον* non liber singularis, sed *βιβλία δύο* enumerantur, et inscriptio legis 8 de gradibus librum primum enchiridii Pomponii, inscriptio autem legis 13 de tutelis et legis 107 de solutionibus Pomponii enchiridii librum

secundum nominant, neque verisimile est, eundem Pomponium duo enchiridia scripsisse, quae nulla alia significatione distinxerit, quam alterum librum singularem, alterum duos libros enchiridii nominando.

Aliarum autem inscriptionum non nisi exigua rudera hic illic servata sunt, pleraeque plane interciderunt. Tribus locis Gaji praenomen jureconsultorum nominibus praepositum legitur, quibus minime Gaji praenomen fuisse constat; quin uno loco Gaji praenomen cum Auli praenomine cumulatur. Tribus his locis, quibus Gaji praenomen tam inconcinne intercalatum legitur, aliae quoque causae suspicioni adjumenta subministrant, Pandectarum compositores abruptae alterius jureconsulti narrationi alterius jureconsulti idque Gaji fragmentum subnexisse. Primus istorum locorum in paragrapho 37 exstat. Ibi Gajum Scipionem Nasicam virum optimum a senatu appellatum esse narratur, eique domum in sacra via datam esse, quo facilius consuli posset. De Gajo Scipione Nasica viro optimo a senatu appellato totis aliorum veterum scriptorum libris siletur; Publium Cornelium Scipionem Nasicam adolescentem nondum quaestorium a senatu virum optimum judicatum esse, memoriae proditum est⁶³). Is vero P. Cornelius Scipio Nasica non, ut Pomponius narrare videtur, ante Tiberium Coruncanium, sed post eum vixit; neque praetereundum est, quae de Scipione Nasica dicantur, verba minime esse omnibus numeris absoluta, sed partem tantum alicujus enunciationis esse videri. Talis oratio frustatim concisa Pomponio vix ignosci posset; verum Pandectarum compositores partes aliquas enunciationum e ceteris enunciatis exsectas, praemissis inscriptionibus, jureconsultorum fragmentis aliunde desumptis interjicere solitos esse, satis notum est. Quid si ea, quae de Scipione Nasica narrantur, ex Gaji aliquo libro desumserint? Ita explicaretur Gaji praenominis origo: solum id nomen ex tota inscriptione superesset, errore aliquo a librario retentum; explicareturque fartim consecuta oratio; neque Pomponius temporum erroris accusandus esset, qui Scipionem Nasicam ante Tiberium Coruncanium vixisse dixisset: immo Pandectarum compositores Gaji fragmentum inepto loco intercalavissent. At hujus quoque contortionis historiae, quae ei jam objecta est, Pomponius absolvendus esset, eum Scipionem Nasicam cum filio ejus Scipione Nasica Corculo commutavisse vel commiscuisse. Publii illius Nasicae filius, Publius Scipio Nasica, qui est Corculum

⁶³) cf. Livius, 29, 14.

appellatus, qui bis consul et censor et pontifex maximus fuit, ejus eximium pontificii et civilis juris studium Cicero laudat⁶⁴), patre multo illustrior fuisse videtur. Eum neque Gajus neque Pomponius neque quivis alius Romanus jureconsultus, qui claros veteres jureconsultos enumeravit, praeteriisse, aut a patre non satis distinxisse censendus est. Verum Pandectarum compositores recepta Gaji de Scipione Nasica patre relatione Scipionum nomini satis fecisse putaverunt, patreque clariorem filium, quem patris filium neque ipsum patrem esse ignoraverunt, silentio praeterierunt.

In § 42 Gaji praenomen Juventio adscribitur, cui Fito praenomen fuisse ab aliis traditum est⁶⁵). Difficilior hic locus minusque perspicuus est, quam § 34; attamen hic quoque non dubito, quin verbo Gajus novum fragmentum incipiat. Paragrapho 42 Mucii auditores complures fuisse traditur, sed praecipuae auctoritatis Aquilium Gallum, Lucilium, Papirium, Juventium, inter hos autem Gallum maximae auctoritatis apud populum fuisse. Apud quemnam vero alii praecipuae auctoritatis fuerunt? Forsan quis dicat: apud ceteros jureconsultos; vel omnes quidem praecipuae, Gallum autem maximae auctoritatis apud populum fuisse. Sed alterutro posito, ejus est § 42 vix vituperationem inconcinnae dictionis subterfugeret. Mihi quidem multo verisimilius videtur, eum jureconsultum, ejus est initium paragraphi 42 solos Gallum, Lucilium, Papirium, qui praecipuae auctoritatis jureconsulti fuerint, nominasse, Gajum autem alicubi omnes Mucii auditores, enumeravisse, enumerationique adjecisse, maximae inter omnes apud populum auctoritatis fuisse Aquilium Gallum. Pandectarum compositores excerpto alterius istius jureconsulti fragmento, ne Juventius innominatus relinqueretur, fragmentum e Gajo desumptum subnexerunt. Exempla talis texturae pleraque in Pandectis exstant. Inscriptio secundi fragmenti solo Gaji nomine relicto intercidit, itaque in nostris libris manuscriptis ortus est Gajus Juventius, atque exstitit mira illa perplexio dictionis.

Similis condicio est paragraphi 44. Enumerantur Servii Sulpicii auditores celeberrimi. Ea enumeratio his verbis introducitur: ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt; sequuntur undecim jureconsultorum nomina, inter

⁶⁴) cf. Cicero, Brutus, 20. § 79. Cato major, 14. § 50.

⁶⁵) cf. Cicero, Brutus, 48. § 178.

quos Gajus aliquis secundum locum obtinet: nam Gaji hoc nomen neque ad Alfenum Varum, qui praecedit, neque ad Aulum Ofilium, qui sequitur, trahi potest. Post enumeratos hos undecim jureconsultos pergitur: ex his decem libros octo conscripserunt. Gaji nominationem mendosam esse, omnes consentiunt. Sed Gaji nomine deleto vel transposito non omne mendum sanatum est. Restat discrepantia quaedam inter introductionem et finem enumerationis. Initio significari videtur, omnes decem jureconsultos, quos nominaturus est is, cujus paragraphus ista est, libros conscripsisse, vel certe omnes libros conscripsisse censi, etiamsi de uno vel altero dubitari possit. Post enumerata nomina idem scriptor, qui ea enumeravit, pro certo affirmat, ex his decem octo libros conscripsisse. Omnis haec disconvenientia solvitur, Gajique nominis origo demonstratur, si in mediis enumeratis jureconsultorum nominibus Pandectarum compositores ab alio ad alium scriptorem transiisse statuimus. Forsan longior erat, nominatis etiam singulorum jureconsultorum libris, prioris scriptoris enumeratio, quam quae tota in Pandectas recipienda esse videri posset. Post primum itaque Alfenum Varum nominatum Pandectarum compositores hunc scriptorem reliquerunt, atque ad Gajum se converterunt, breviorum ejus nominum catalogum in Pandectas recipientes. Deletis omnibus fere in titulo de origine juris inscriptionibus, solum Gaji nomen per errorem retentum est.

Sed haec hactenus de Gaji nomine, quod solum ex totis inscriptionibus residuum nonnullis tituli de origine juris locis legitur. Num alia quoque aliarum inscriptionum vestigia hic illic remanserint, valde dubium est; quae singula qualia sint suis locis proponemus.

Ea quae modo de Gaji nomine, quod nonnusquam in lege secunda de origine juris inepto loco intercalatum legatur, exposuimus, plurimum valent ad fulciendam Lydi relationem, paragraphos vigesimam secundam, tertiam, quartam legis secundae de origine juris non Pomponii, sed Gaji esse. Quin ipsa ultima paragraphi vigesimae tertiae verba gravissimum indicium subministrant, paragraphos istas revera Gaji esse, ex ejus libro primo ad legem duodecim tabularum desumtas. Ultima illa verba referunt, quaestorum parricidii etiam legem duodecim tabularum meminisse. Quaestorum parricidii etiam legem duodecim tabularum meminisse, qui vetustarum illarum legum interpretationem facturum erat, multo concinnius admonuisse censendus est, quam qui in libro singulari enchiridii singulorum magistratuum nomina atque origines demonstrabat.

Neque impedimento est indoles verborum paragraphi vigesimae quartae. Eam paragraphum verum relationis Lydi fontem esse, eo demonstratur, quod et Lydus verba a se exhibita Gaji expositionem de quaestoribus sequi affirmat, et in Pandectis revera paragraphus vigesima quarta post quaestorum munus atque originem explicitum legitur. Lydus aut sensum magis Gaji quam verba reddidisse, aut meliore, quam qualis nobis servatus est, Pandectarum codice usus esse censendus est.

Verum ea quoque differentia, quae inter paragraphum trigesimam quartam Pomponiique verba a Lydo relata intercedit, vituperationisque origo, quam Lydus Pomponio objicit, tali modo optime explicantur. Ipse Pomponius decem et octo praetores scripsisse censendus est. Pandectarum compositores Pomponii narrationem interjecta paragrapho trigesima tertia interciderunt, et pro decem et octo praetoribus solos octo praetores interpolaverunt. Interpolationis ejus causa haec erat:

Post multas varietates anno 384 ab imperatoribus Gratiano, Valentiniano et Theodosio constitutum est⁶⁶⁾, ut octo quotannis praetores Constantinopoli crearentur.

Postea quinque horum praetorum detracti sunt, sive anno 450 ab ipsis imperatoribus Valentiniano et Marciano, quorum constitutione in Codicem Justinianum recepta⁶⁷⁾ tres tantummodo praetores per singulos annos ordinari jubentur, sive ab Justiniano, qui imperatorum illorum constitutionem fortasse in Codice demum repetitae praelectionis interpolari jusserit. At etiam si Pandectarum conficiendarum tempore tres tantummodo praetores Constantinopoli creabantur, certe Justinianus jam tum in mente habebat, octo praetorum numerum restituere. Non inconsulto post Codicem repetitae praelectionis publicatum anno primo quinque et non plurium novorum praetorum munera constituisse videtur, novella 24 praetoris Justiniani Pisi-diae, novella 25 praetoris Justiniani Lycaoniae, novella 26 praetoris Justiniani Thraciae, novella 29 praetoris Paphlagoniae, novella 13 praetoris plebis. Eodem tempore aliarum quoque provinciarum praesidibus novos titulos impertivit, praetoris autem titulum iis denegavit⁶⁸⁾.

⁶⁶⁾ cf. C. 25 C. Th. de praet. et quaest. 6, 4.

⁶⁷⁾ cf. C. 2 C. J. de off. praet. 1, 39.

⁶⁸⁾ cf. nov. 27. 28. 30. 31.

Pandectarum compositores qui Pomponii enunciatum, quo singulos, quorum originem demonstraverat, magistratus breviter repetiverat, interjectis aliorum jureconsultorum fragmentis, a reliqua ejus narratione separaverant, ideo decem et octo praetoribus solos octo praetores substituerunt, ne plures, quam quas Justinianus ordinari vellet, praetores nominentur. Ita in enunciato isto omnes, qui ad Justiniani aevum duraverunt, magistratus ordinarii enumerantur; nam tribunos quoque plebis etiam Justiniani temporibus exstitisse, verisimile est⁶⁹⁾, aediles vero illo tempore Constanti-nopoli fuisse, ipse Lydus tradit⁷⁰⁾.

Mutatam a Pandectarum compositoribus Pomponii relationem Lydus et legit, et in librum suum recepit, cumque octo tantum praetores a Pomponio commemorari vidisset, paullo autem antea fragmentum, quo multo plurium praetorum origo demonstrabatur, errore aliquo, de quo mox videbimus, seductus, Ulpiani esse, existimaret, Pomponium τὸ πλεῖθος καὶ ποικίλον τῆς ιστορίας διαφύγειν arguit. Ita ipse Lydi error verum legis secundae de origine juris ortum indicat. Ejectis omnibus fere e titulo de origine juris inscriptionibus, cum tota lex secunda de origine juris una lex esse videretur, consentaneum videri non poterat, in enarratione decem et octo praetores, qui jus dicant, in repetitione autem solos octo praetores nominari; ita consulto decem et octo praetores denuo octo praetoribus substituti, inconsulto genuina Pomponii lectio restituta est.

At ipsa haec ratiocinatio probat, Lydum non ex ipso Pomponii libro fragmentum illud sumsisse, verum ex Pandectis. Altera autem eum fragmenta Gajana aliunde quam ex Pandectis hausisse, nihil indicat. Ea fragmenta vera Gajana fragmenta habenda esse vidimus. Non nisi similitudinem aliquam verborum permagnam inter Gajana fragmenta a Lydo servata, et Pomponiana, quae in Pandectis exstent, intercedere, altera autem revera Gajana altera Pomponiana esse, ultima paragraphi vigesimae tertiae verba reprobant. Ne autem totam legem secundam de origine juris a Pandectarum compositoribus confictam esse opinemur, monent inscriptionum vestigia, quae in media lege secunda de origine juris occurrunt, monetque Lydus, qui ex ipsis Pandectis intellexisse videtur, paragraphos vigesimam secundam, tertiam, quartam Gaji esse, ex ejus libro primo ad legem duodecim tabularum desumtas.

⁶⁹⁾ cf. Walter, röm. Rechtsgeschichte. I. § 370. Mommsen, röm. Staatsrecht. II. 1. p. 303.

⁷⁰⁾ cf. Lydus de mag. I, 35.

Quod vero initium et quis finis singulorum fragmentorum, quae in lege secunda de origine juris latent?

I. Totus de origine atque processu juris Romanorum tractatus, qui principio et paragraphis duodecim prioribus absolvitur, revera Pomponii esse videtur, sola fortasse exigua paragraphi quartae parte a Pomponio aliena. In ista paragrapho Pomponius, placuisse, ait, publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus. Eas leges in tabulas eboreas perscriptas pro rostris composuisse, ut possent leges apertius percipi. Deinde his verbis pergitur:

Datumque est eis jus eo anno in civitate summum, uti leges et corrigerent, si opus esset, et interpretarentur, neque provocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus fieret.

Jus corrigendarum interpretandarumque legum decemviris concessum esse, antequam leges ab ipsis conscriptas pro nostris proposuerint, palam est; neque tam harum ab ipsis compositarum, quam vetustiorum Romanarum vel a Graecis civitatibus petitarum legum corrigendarum licentiam eis datam esse, commemorandum erat. Inter claram alioquin et pellucidam Pomponii narrationem enunciatum illud ex alio scriptore desumptum a Pandectarum compositoribus interjectum esse videtur. Aliae, quae in priore legis secundae de origine juris parte leguntur, inconcinnitates librarii alicujus inscitiae deberi videntur, qui in describendis Pomponii verbis erraverit, vel diversas ejusdem enunciati lectiones ambas receperit.

Etiam secundae partis legis secundae de origine juris, in qua de magistratuum nominibus atque origine agitur, initium Pomponii esse videtur usque ad mediam paragraphum sextam decimam.

II. In media paragrapho sexta decima novum fragmentum incipit, idque Gaji ex ejus libro primo ad legem duodecim tabularum desumptum. Quod quo magis illucescat, altius repetendum est.

Similiter ut in paragrapho duodecima, etiam in paragrapho trigesima quarta Pomponius — nam paragraphum quoque trigesimam quartam Pomponii esse, Lydus confirmat, — quae antea luculentius exposuerat, paucis repetit. Ea repetitio in paragrapho duodecima exactissima est, neque est, cur putemus, Pomponium in para-

grapho trigesima quarta minus accurate versatum esse. Paragraphi trigesimae quartae, de qua jam supra disputavimus, verba haec sunt:

Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem et octo praetores, sex aediles in civitate jura reddebant.

In praecedentibus paragraphis revera omnium horum magistratuum origo demonstrata est, sed non solum horum magistratuum, verum etiam regum, tribunorum celerum, censorum, dictatorum, magistrorum equitum, quaestorum, decemvirorum legibus scribundis, tribunorum militum, decemvirorum stlitibus judicandis, aliorumque minorum magistratuum, denique praefectorum urbi, annonae, vigilum. Neque sex tantum aediles exhibentur, sed plures, cum etiam hi, qui Cistiberes dicti esse dicuntur, qui tamen in paragrapho trigesima prima non Cistiberes, sed quinqueviri cis Tiberim nominantur, postea senatusconsulto aediles creati esse dicantur.

Forsan quis putet, omnium horum magistratuum nomina in fragmento Pomponiano, quod a reliqua Pomponii narratione separatim esse demonstravimus, a Pandectarum compositoribus deleta esse, qui eos solos magistratus, qui ad Justiniani usque tempora exstiterint, in illo fragmento enumerari voluerint. Refragantur huic opinioni praefecti urbi, annonae, vigilum in illo fragmento non nominati; multaeque aliae causae efficiunt, ut non tam lacunosam esse Pomponii repetitionem opinemur quam eas paragraphos, in quibus magistratuum mentio fiat, qui in repetitione omituntur, a Pomponio alienas esse, exceptis solis iis paragraphis, quae reges quondam omnem potestatem habuisse, eorumque temporibus etiam tribunum celerum fuisse, tradant. Horum autem magistratuum Pomponium in repetitione non meminisse, opprobrio ei verti non potest.

Paragraphos vigesimam secundam, tertiam, quartam, in quibus de quaestoribus et de decemviris stlitibus judicandis agitur, Gaji esse Lydus memoriae prodidit, verumque hoc Lydi esse, jam supra commemoravimus. Et si paragraphus vigesima tertia Gaji est, consequens est, etiam secundam paragraphi sextae decimae partem ejusdem Gaji esse. In paragrapho enim vigesima tertia Gajus, se dixisse, ait, de capite civis Romani injussu populi non fuisse lege permissum consulibus jus dicere; idque ipsum in paragrapho sexta decima narratur.

Initium hujus fragmenti Gajani verba: Quia tamen, esse videntur, quae in media paragrapho sexta decima eguntur. Neque, si his verbis novum fragmentum

incipit, necessarium est statuere, mendosum esse verbum Quia, et pro eo legendum esse: Qui. Gajus de potestate consulari plura verba fecisse censendus est, deindeque ita perrexisse: quia tamen . . . lege lata . . . factum est, ut . . . , solum relictum est illis, et rel.

Paragraphos septimam decimam, duodevigesimalam, undevigesimalam, in quibus de censoribus et de dictatoribus magistrisque equitum agitur, ejusdem Gajani fragmenti esse, persuasum mihi habeo. Eas non ejusdem scriptoris esse, cujus est initium tractatus de magistratibus, ultima paragraphi undevigesimalae verba protestantur. Ea enim indicant, antea, qui sint magistratus legitimi, expositum esse, quorum notionem Pomponius non explicuerat.

III. Paragrapho vigesima novum fragmentum, idque Pomponii, ex libro singulari enchiridii desumptum, incipit. Index est paragraphus trigesima quarta, quae Pomponium de tribunis plebis aedilibusque egisse, declarat, alterque index est arida dicendi ratio, quae et a paragraphorum praecedentium et a sequentium dicendi genere valde abhorret, cum Pomponii autem dicendi ratione, qualis priore legis secundae de origine juris parte apparet, prorsus convenit.

III. Paragraphos vigesimalam secundam, tertiam, quartam Gaji esse, ex ejus libro primo ad legem duodecim tabularum desumtas, Lydus prodidit. De his paragraphis jam supra accuratius exposui. Eundem scriptorem, qui jam in paragrapho quarta de decemviris egerat, iterum in paragrapho vigesima quarta eosdem decemviros tam prolixè profuseque tractare, quam minime consentaneum est.

Finis fragmenti Gajani mutilus est, sive Pandectarum compositorum, sive librarii alicujus culpa. Neque non respiciendum est, saepissime circa eos locos, ubi inscriptiones excidisse probabile est, ipsorum quoque fragmentorum verba mendosa esse videri.

V. Paragraphus vigesima quinta neque ex Gaji libris ad duodecim tabulas, neque ex Pomponii enchiridio desumpta esse videtur. Quae initio ejus paragraphi leguntur verba ab eodem scriptore, cujus est paragraphus vigesima quarta, continenter isti paragrapho subjecta esse non possunt, quippe quae non tam post aliquot annos, postquam duodecim tabulae latae sint, factum esse indicent, ut tribuni militum creentur, sed quae exprimant, tribunos militum creatos esse, postquam post ea, quae antea commemorata sint, duodecim tabulae latae ac deinde aliquot anni praeterlapsi

sint. Pomponii enchiridii autem hanc paragraphum non esse, indicat paragraphus trigesima quarta, quae tribunos militum omittit.

VI. Paragraphos vigesimam sextam, septimam, octavam Pandectarum compositores denuo ex Pomponii enchiridio sumserunt. Eae paragraphi procul dubio paragraphum vigesimam primam exceperant.

VII. Paragraphi undetrigesima, trigesima, trigesima prima a Pomponio alienae sunt. Magistratus minores, quorum in his paragraphis mentio fit, non dici possunt jura rexisse (cf. § 13), neque nomina eorum in paragrapho trigesima quarta exhibentur. Auctor illarum paragraphorum plane incognitus est. Suspiciari licet, eas Ulpiani esse, ex ejus libris de omnibus tribunalibus desumas. Suspicionem eam movet Lydus, qui Ulpianum in Protribunalibus *λεπτοτέρως τοὺς περὶ τῶν πραιτέρων διαξελθεῖν λόγους* ait. Quid si inscriptio, quae indicaverit, paragraphum trigesimam secundam Pomponii esse, jam in Lydi Pandectarum exemplari omissa fuerit, vel Lydus eam non animadverterit vel in memoria non retinuerit, itaque in errorem inductus fuerit, quasi paragraphus quoque trigesima secunda ejusdem Ulpiani sit, cujus praecedentes paragraphos esse earum inscriptio declaraverat? Ulpianum alios praetores tutelarios alios fideicommissarios appellare, incertae potius memoriae, quam certae lectioni debere poterat, et revera eum, dum scriberet, accuratum Ulpiani tractatum non ante oculos habuisse, eo sublevatur, quod, quamvis loquax esset historiographus, eum tractatum in libros suos recipere spreverit⁷¹⁾.

VIII. Paragraphus trigesima secunda Pomponii est. Eam non esse scriptoris Pomponio junioris praetorem tutelarem a Marco Aurelio introductum in hac paragrapho non nominatum demonstrare, jam supra monui. Pomponii autem eam esse, paragraphus trigesima quarta indicat.

VIII. Quae sequitur paragraphus trigesima tertia certe Pomponii non est. Ceterum mendis ita squalet, ut vera ejus indoles vix cognosci queat. Unius scriptoris totam paragraphum non esse, persuasum mihi habeo; judicio autem finium regundorum instituto, mihi de finibus, qui fuerint, non liquere pronuncio.

X. Absolutis prioribus legis secundae de origine juris partibus, ad tertiam, qua de successione prudentium agitur, transeamus.

⁷¹⁾ cf. Dirksen, Vermischte Schriften. I. p. 64.

Primae paragraphi trigesima quinta et sexta Pomponii non esse videntur. Quamvis enim primo intuitu, quae paragrapho tertia decima promissa fuerant, his paragraphis praestari videantur, accuratius tamen inspicientibus nobis apparet, multo plura, quaeque cum Pomponii demonstrandi ordine vix conveniant, his paragraphis narrari. Pomponius de successione juris peritorum se dicturum promiserat, per quos jus in melius productum esset; eorum, a quibus jus conditum esset, jam antea mentionem fecerat. Is vero, cujus est paragraphus trigesima quinta, eorum in praesentia mentionem habendam esse ait, et a quibus jura orta, et a quibus jura tradita sint, itaque Papirii, Appii Claudii, Sexti Aelii, quos Pomponius jam absolverat, iterum mentionem injicit. Praeterea Pomponius Papirium Sextum Papirium nominaverat, is, cujus est paragraphus trigesima sexta Publio Papirio ei nomen indit. Appium Claudium Pomponius actiones ad certam formam redegissee pro certo affirmaverat; is, cujus est paragraphus trigesima sexta, non nisi traditum esse commemorat, Appium Claudium actiones scripsisse. Denique quae paragrapho trigesima octava de Sexto Aelio narrantur, Pomponius, qui jam antea de eodem Sexto Aelio egerat, vix ita narraverit.

XI. At non omnia, quae inter paragraphos trigesimam quintam et octavam leguntur, ejusdem scriptoris esse videntur. Post mediam paragraphum trigesimam sextam haec verba celebrata leguntur:

Hunc etiam actiones scripsisse traditum est primum de usurpationibus, qui liber non exstat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc processisse etc.

Mendosa esse ea verba, palam est, multaeque jam variaeque iis conjecturae et interpretationes obtigerunt. Sunt qui verbum Actiones eliminare voluerint. Verum consentaneum non est, eum, qui jureconsultos enumeraturus erat, a quibus jura Romana orta et tradita sint, Appii Claudii actiones quidem praeteriisse, librum autem quendam singularem de usurpationibus commemoravisse. Praeterea liber iste de usurpationibus obscurissimum legis secundae de origine juris aenigma est, unde fit, ut, si aut actiones ejiciendae sunt, aut liber de usurpationibus, magis censuerim, hunc librum esse ejiciendum. Verba: primum de usurpationibus, depravatae quaedam reliquiae inscriptionis alicujus esse videntur, forsitan ex Pomponii libro primo ex variis lectionibus ortae; novumque iis verbis fragmentum incipere videtur. Nam

novum fragmentum aut ante aut post verba: qui liber non exstat, incipere etiam structura ejus enunciati, quod verbis: idem Appius, incipit, indicat; inconcinnaque verba: primum de usurpationibus, optimam conjecturae ansam praebent, ibi hoc fragmentum incipere. Ceterum si verba: primum de usurpationibus, merito ejicienda sunt, ideoque verba: qui liber non exstat, ad ea referri non possunt, novum fragmentum ante ea verba incipere, necessario censendum est, cum is, qui Appium Claudium tantummodo tradi dixerit, actiones scripsisse, nisi hariolaturus erat, vix necessarium ducere potuerit, affirmare, eum librum non exstare.

XII. Novum fragmentum, quod verbis: primum de usurpationibus, incipit, perbreve est. Utrum vero verbo: Furii, an verbis: cognominatus est, quae in paragrapho trigesima septima leguntur, finiatur, equidem non ausim dijudicare.

XIII. Certe post haec verba in paragrapho trigesima septima Gaji nomine iterum novum fragmentum introducit, de quo jam supra disserui.

XIII. Id quoque fragmentum perbreve est, neque ultra verba: consuli posset. Deinde Quintus Mucius . . . , extenditur. Publium Cornelium Scipionem Nasicam non ante Tiberium Coruncanium vixisse constat, itaque nec ante eum vixisse potest, qui Coruncanio etiam anterior est. Quis vero fuerit ille Quintus Mucius, ignoratur. Aut Quintus Fabius Maximus Cunctator sub hoc nomine latitat, aut totum nomen negligentiae alicujus librarii debetur, qui rudera inscriptionis, quae indicaverit, quod sequatur fragmentum, ejusdem jureconsulti atque praecedens fragmentum esse, ex ejus libris ad Quintum Mucium vel ex Quinto Mucio desumptum, mutata forma in ipsum textum receperit.

Ceterum hoc fragmentum usque ad verba: hos sectatus ad aliquid est Cato, porrigitur. Omnia, quae usque ad haec verba leguntur, optime inter se cohaerent. Fragmentum id Pomponii non esse, quae de Sexto Aelio narrantur, indicare, jam supra monui. Item non ejusdem scriptoris esse potest, cujus est initium paragraphi trigesimae septimae. Qui enim Atilium primum a populo Sapientem appellatum esse narraturus est, solum Sempronium a populo Romano σοφον appellatum esse, neque quenquam ante hunc aut post hunc hoc nomine cognominatum esse, affirmare nequit. Contra fragmentum ejusdem scriptoris esse, cujus est paragraphus trigesima quinta, verba: ut dixi, demonstrare videntur.

XV. Verbis: deinde Marcus Cato, novum fragmentum incipere videtur. Nam aut haec verba, aut quae praecedunt, mendosa sunt⁷²⁾, aut nulla omnino inter ea conjunctio exstat.

XVI. Ceterum id quoque fragmentum perbreve est. Nam initio paragraphi trigesimae nonae Pandectarum compositores iterum ad illum scriptorem se convertisse videntur, cujus fragmentum in paragraphis trigesima septima et octava exhibuerunt. Publius Mucius et Brutus et Manilius post Catonis Censorii filium vixisse dici non possunt; narrandique ratio, qualis in paragraphis undequadragesima, quadragesima, quadragesima prima atque initio quadragesimae secundae apparet, eadem est ac paragraphi duodequadragesimae.

XVII. In media paragrapho quadragesima secunda, novum fragmentum incipere, Gaji nomen indicat, de quo supra disserui. Genus narrationis earum, quae sequuntur, paragraphorum plane aliud est, quam praecedentium.

XVIII. Sed hoc fragmentum Gajanum jam ante finem paragraphi quadragesimae secundae finiri videtur. Sub initium paragraphi quadragesimae quartae iterum fragmentum Gajanum incipere, supra monui. Inter prius illud ac posterius fragmentum Gajanum alius scriptoris fragmentum intercalatum fuisse opinandum est. Alioquin intelligere non liceret, quomodo Gaji nomen initio paragraphi quadragesimae quartae ex inscriptione in textum irrepere potuisset, cum ab ipsa inscriptione alienum fuisset, voce idem pro Gaji nomine posita. Ceterum inter duo Gaji nomina sola ex inscriptionibus servata, nullus alius locus reperitur, quo novum fragmentum incipere videri possit, quam mendis abundans finis paragraphi quadragesimae secundae.

XVIII. Ultimam, cujus initium cognoscere posse mihi videor, fragmentum, ut modo memoravi, initio paragraphi quadragesimae quartae Gaji nomine incipere videtur. Num in iis quoque, quae sequuntur, paragraphis diversorum jureconsultorum fragmenta contineri videantur, aliis investigandum relinquo.

⁷²⁾ cf. Huschke, in Zeitschrift für Geschichtliche Rechtswissenschaft. XV. p. 183 sqq.

